

sibi licet, mexicanus populus per civitatum et oppidorum publicum ornatum in sacris festis, quae solemniori modo celebrantur in templis, etiam extra templa cultum et honorem Domino exhibet: protestantes, et divitiarum amore, et tolerantiae lege attrahuntur; et licet externa pecunia haereticos mexicanos omni ardore facere laborent, pauculum laborum obtinent fructum. Sed quid plura? Mexicana Respublica veram Religionem firmissime retinet, atque deamat; nec ullis artibus illum amorem e mexicanorum cordibus evellere possibile est. Unde haec omnia nisi ex speciali protectione Sanctissimae Dei Genitricis, cujus devotio mentibus nostris insita est, et cujus festa, atque inter ea, festum B. M. V. de Guadalupe, solemnissime celebrantur?

ARGUMENTUM DECIMUM QUARTUM.

Apparitionis veritas comprobatur ex parvo numero impugnantorum.

Cum ita plurimae usque modo habitae sint conciones de B. M. V. de Guadalupe, ut nec numerari possint, duotantummodo narrantur concionatores, qui a recto traditionis tramite deflexerint, et quidem gravi scandalo fidelium. Primus fuit P. Fr. Franciscus Bustamante, qui cum Mexici concionaretur die 8 Septembris anni 1556, dixisse narratur Imaginem B. M. V. de Guadalupe ab indo quodam pictam fuisse. De dictis a Bustamante inquisivit juridice Rmus Montufar, secundus Archiepiscopus Mexicanus. (1) Secundus concionator qui a traditione Apparitionis recessit, fuit Doctor Fr. Servandus Mier,

(1) V. Opus, cui titulus, Santa María de Guadalupe Patrona de los Mexicanos, XVI, núm, 477 et sequentibus.

die 12 Decembris anni 1794. Hic autem non negavit miraculum Apparitionis, sed illud aliter composuit, scilicet, quod B. M. V. in pallio Sancti Thomae Apostoli, qui his in terris praedicaverit, sese depinxit; eamque esse Imaginem de Guadalupe, quam modo veneramus. Adversus Doctorem Mier juridice egit Rmus Nuñez de Haro, Mexicanus Archiepiscopus. (1) Hic concionator quae praedicaverat, retractavit. (2) At, missus in Hispaniam, litteras scripsit ad Joannem Baptistam Muñoz, non recte sentiens de Apparitione. (3)

Quod ad scriptores attinet, objicitur textus quidam Fr. Bernardini Sahagun, antiqui scriptoris, qui dixit non certo sciri unde orta fuerit fundatio B. M. V. de Guadalupe. Verum gravi ratione textus creditur apocryphus, ut dicetur in solutione objectionum.

Opponitur etiam silentium Fr. Joannis Torquemada, qui in opere, cui titulus, Monarquía Indiana, licet de templo, et de ipsa B. M. V. de Guadalupe aliqua verba faciat, Apparitionem non narrat, etiam occasione sibi oblata, nam vitam scripsit Rmi Zumarraga. Atque etiam objicitur silentium Fr. Ludovici Cisneros, qui de templo quidem, et de Imagine B. M. V. de Guadalupe loquitur, verum non narrat Apparitionem. At vero auctores hoc silentium excusant, ut dicetur in solutione objectionum. Eaque excusatio convenit etiam Fr. Hieronymo Mendietta, etc.

Fr. Augustinus Betancurt, qui chronicam Provinciae Mexicae franciscanorum scripsit, Apparitionem asserit; verum dubitare videtur de eo quod rosae, et flores, quos Joannes Didacus detulit Rmo Zumarraga, fuerint

(1) Oquendo, Disertacion histórica sobre la Aparicion, etc. tom. 2, cap. 9, § 5.

(2) Oquendo, ib.

(3) Ita refertur in opere, cui titulus, Santa María de Guadalupe, Patrona de los Mexicanos, núm, 529.

miraculose exorti: hancque dubitationem illi imputat Oquendo. (1)

Oquendo reprehendendum etiam duxit Bartolache, eo quod in opere cui titulus *Manifesto satisfactorio, etc.*, aliqua dixerit aliquibus circumstantiis, aut praerogativis Apparitionis non favorabilia; verum, ut ipse Oquendo fatetur, Apparitionem miraculosam admittit Bartolache.

(2) Imo etiam alio argumento illam stabilivit, orto ex nova inspectione Imaginis a viris peritis, ut dictum est in argumento desumpto ex iudicio peritorum.

Hinc Rmus Nuñez de Haro in edicto Archiepiscopali anni 1795 adversus concionem Doctoris Mier, de qua modo dictum est, asserere non dubitavit, usque ad illud tempus nullum auctorem, nec nostrum, nec exterum, ausum fuisse Apparitionem impugnare. (3)

Anno 1794 apparet exterus impugnator Apparitionis B. M. V. de Guadalupe: hic fuit Joannes Baptista Muñoz in quadam de hac re dissertatione (memoria), quam legit coram Hispana Regali Historiae Academia. (4) Typis edita legitur in opere, cui titulus *Memorias de la Real Academia de la Historia*, anno 1817, quod opus Mexicanum advenit anno 1819: (5) unde constant ejus notitiam Mexicanum nondum advenisse quando Rmus Haro Archiepiscopus, asseruit nullum nec mexicanum nec exterum auctorem Apparitionem B. M. V. de Guadalupe impugnavisse. Et

(1) Diser. hist. sobre la Aparicion, tom. 2, cap. 7, § 4, núm. 512.

(2) Disert. hist. sobre la Aparicion. tom. 2, cap. 7, § 11, núm. 590.

(3) Hoc edictum integrum inseruit Oquendo, opere cit. tom. 2, cap. 9, § 5

(4) Dissertatio haec integra legitur initio operis, cui titulus *Apología de la Aparición, etc.*, auctore Guridi Alcoser, ubi ipsa dissertatio impugnatur.

(5) Tornel, *La Aparicion, etc.*, tomo 2, cap. 1.

notandum hunc ipsum impugnatores non ausum fuisse falsam asserere Apparitionem, sed tantummodo incertam: ait enim: (núm. 25.) "La buena razon pide á lo ménos, que no se preste asenso á narracion tan incierta." Atque in fine dissertationis asserit cultum B. M. V. de Guadalupe rationabilem et justum esse, quidquid credatur de ejus Apparitionibus. En quam parum sibi confidit praedictus impugnator. Quando Mexici nota fuit haec dissertatio, a doctis scriptoribus fuit impugnata.

Anno 1849 typis editum fuit opus D. Juliani Tornel et Mendivil, cui titulus "*La Aparicion de Nuestra Señora de Guadalupe de México.*" Atque in eo opere, in quo iterum impugnatur dissertatio D. Joannis Baptistae Muñoz, ipse Muñoz dicitur *moderno impugnador* de la Aparicion.

(1) En post medium saeculum adhuc habetur ut recens impugnator Apparitionis ille, qui illam impugnavit anno 1794. En quam rari sunt impugnatores Apparitionis, ita ut adhuc anno 1849 unus refutatione dignus adducatur.

Cum mos sit hodiernis temporibus statutis diebus in foliis scribere, quae deinde in volumina rediguntur: in illis foliis adversus Apparitionem B. M. V. de Guadalupe scribi solet ab illis, qui de religiosis rebus non recte sentiunt; verum etiam scribunt pro Apparitione defendenda catholici viri.

Quae cum ita sint, aliud exurgit argumentum ad comprobendam Apparitionis Guadalupensis veritatem. Si enim hoc miraculum de illis esset, quae semel ab aliquo Ordinario approbata, illorum memoria tantummodo aservatur in juridico manuscripto in Archivi alicujus pulvere sepulto, aut fortasse in hoc aut illo pio libro cog-

(1) Tom. 1, operis, cap. 2, núm. 41: quod autem de Muñoz ibi loquatur apparet ex eo quod non alius nisi Muñoz in eo opere impugnatur.

nito a solis fidelibus devotioni deditis, non mirum esset si impugnantibus careret. At vero Apparitionis miraculum publice, et summo splendore apud nos celebratur, non in templis tantummodo, verum etiam publico civitatum ornatu, atque multis libris, et concionibus innumeris enarratum fuit, et modo enarratur; templa et altaria in honorem Deiparae, quae Tepeyacac apparuit, undique videntur; et Imago Guadalupensis ubique ante oculos habetur, et in templis, et in fidelium domibus, et publice in civitatibus, quando exornantur causa solemnitate Apparitionis. Planum ergo est ita evidentia esse argumenta, quae Apparitionem demonstrant, ut omnem intellectum, paucissimis exceptis, ad assentiendum astringant. At vero cum ita inquietus sit hominis animus, ut etiam adversus penitus demonstrata insurgat, dicendum videtur Dominum in hoc casu speciali providentia vel lucem in intellectus immittere, ut argumentorum vim invicte sentiant, vel etiam pia affectione erga B. V. M. corda movere, ut insigne beneficium, quod B. V. Tepeyacac apparens nobis contulit, libenter omnes agnoscant.

PARS TERTIA.

Historicas continens comprobationes, vel etiam explanationes eorum unde quaedam argumenta desumuntur ad ostendam Guadalupensium Apparitionum veritatem.

Sciscitari quis poterit, cur historica facta unde argumenta, in secunda hujus dissertationis parte proposita, deducuntur, non semper tunc fuerunt comprobata quando ipsa argumenta sunt proposita? Dicendum ideo comprobationes, necnon et explanationes non semper simul

cum argumentis fuisse exhibitas et factas, eo quod etsi nonnullae breves essent, aliae diffusiores esse necesse erat, quoniam illa unde sumuntur argumenta, traditione per tria saecula et dimidium continuata erant ostendenda: opportunum autem visum est argumenta omnia quoad brevius fieri potuit exponere, eorumque vim patefacere, ut brevi tempore percurri possent et perpendi. Caeterum lectori liberum erit, vel in unoquoque argumento historiae veritatem supponere, deinde probandam, vel statim in hac tertia Dissertationis Parte comprobationem quaerere. Atque etiam notandum, non omnia argumenta in secunda parte proposita, comprobatione historica vel explanatione, praeter ea quae cum proponerentur dicta sunt, indigere.

AD ARGUMENTUM PRIMUM.

Comprobatio historica. De hymnis, quibus antiquissimis temporibus historia Guadalupensis Apparitionis enarrabatur.

Postquam B. M. V. de Guadalupe sacra Imago coram Mexiceo felicissimo Praesule mirabiliter apparuit in *Ayatl* Joannis Didaci depicta, ad majus Templum delata fuit, ubi aliquandiu permansit. Inde ad primum ejus Tepeyaquense Templum ab ipso Praesule, et Clero saeculari et regulari, civilibus Magistratibus comitantibus, et populo copiosissimo, solempni processione praedicta sacra Imago fuit translata, ut stabilietur postea cum de cultu B. M. V. de Guadalupe tractetur; atque inter alia, quae tantae solemnitati contulerunt, hymnus mexicanus a Plácido compositus, et tunc cantatus, annumeratur, in quo non nisi vera de Apparitionis miraculo enarrare permisissent et Antistes, et Clerus, et civiles Magistratus, tunc de religione solliciti.

Modo hic hymnus non reperitur, cum plura et sum-